

9. *Quod si saltem non divulgetur factum & ad aliorum, imprimis vero pastorum aures perveniat, cetera se nihil curare.* (wanns nur der Pfarrer nicht erfährt.) Quasi vero magis timendi sint homines, quam Deus omniscius, peccatorum ultor.

10. *Sufficere, modo quis non bestiarum more vivat.* Sed observa, tibi non solum, ut homini, secundum rationis ductum, sed etiam ut Christiano, secundum Christi præcepta, non secundum carnem, sed secundum Spiritum, esse vivendum; *Gal. VI, 1.*

11. *ideo expedire hominem varia committere peccata, quo illa eo melius, quippe experientia edoctus, describere & depingere possit: &*

12. *quando homines peccata committunt, tunc doctos nancisci occasionem, multa utilia in medium hanc ob rem proferendi ac docendi.* Sed ad utrumque respondetur, non esse agenda mala, ut inde eveniant bona. Et quod maximum est, quo magis a Deo recedimus, eo difficilior reditus ad gratiam erit, præcipue quando studio in peccatis perseveramus.

13. *Se velle saltem hoc vel illud peccatum sibi tanquam peculium (als eine Schoos-Sünde) reservare.* Verum qui in uno aberrat, totam reputatur violasse legem. *Conf. Jac. II, 10. 11. & toti sancti esse debemus. 1. Thess. V, 23.*

14. *Temperamento tali se esse præditos, quod tantopere illos ad hoc vel illud peccatum inclinet atque determinet (sie hätten ein rechtes Naturell zu dieser oder jener Sünde / e. g. huren / sauffen / &c.)* Verum hic notandum, hominem ipsum lapsum non immunem esse a culpa, quod temperamenti constitutio sit corrupta: Deinde quamvis homo primum impetum pravæ inclinationis impedire non possit, potest tamen divino nixu auxilio impedire, quo minus in actum erumpat, resistendo puta & supprimendo. Hoc enim certum est, temperamentum